

Nf. 24.

80. 2  
32

CIVIBUS ACADEMICIS  
IN  
REGIA FRIDERICIANA  
COLLEGIA SUA  
ÆSTIVO SEMESTRI  
HABENDA  
INTIMAT  
JACOBUS CAROLUS SPENER,  
Phil. P. P. Ord.

33

ah.







Quid mihi deuotissima mens, qua summam AV-  
 GVSTISSIMI REGIS nostri & meis & mihi semper  
 benignissime concessam gratiam pie veneror,  
 suasit, vt primas quas hic scriberem lineas sub-  
 mississimæ grates occuparent: id cum altius rem  
 perpenderem, nec sat commode tam paucis pagellis fieri, &  
 rem esse ratus, quæ publicæ potius orationi quam program-  
 mati alicui referuatur, postremum sequutus sum consilium,  
 quo possim submississimo cultu solenni panegyri meam gra-  
 tiarum actionem, meaque imo communia omnium ciuium  
 pro AVGVSTISSIMI REGIS nostri & SERENISSIMÆ REGIÆ DOMVS  
 æterna felicitate vota publice perorare. Laborabo, vt meo  
 isti instituto proximam inueniam occasionem. Quod autem  
 ex officio clementissime mihi delato his paginis maxime de-  
 beo, nunc omni ommissa præfatione honoratissimis academicis  
 nostris ciuibus collegia mea proxime habenda aperiam, & de iis  
 quantum opus erit aliquot verba faciam. Præcipuam quippe  
 meam pietatem iam postulare existimo, omni conatu & indu-  
 stria munificentissimæ regiæ voluntati humillima mea probare  
 obsequia, nec frustrari Mæcenatum meorum benignam opi-  
 nionem, qua moti a SERENISSIMO nostro REGE hoc publici & or-  
 dinarii professoris munus mihi clementer & gratiosissime im-  
 petrarunt.

II. Et publicæ quidem historiæ philosophicæ, doctrinæ, si  
 vni, maxime & vtili & necessariæ explicandæ meam operam  
 impendam. Nempe licet tempora alia successerint, semper  
 tamen eadem historia luditur. Spectatorum instar, si sapimus,  
 nobis in antiquiora theatra respicere licet, vt hodiernas larvas  
 deinde eo facilius dignoscamus. Vt vnum moneam, quot ibi  
 tragicas personas, quæ multam hodie existimationem merue-  
 runt, obseruabimus? Certe, quod vulpes apud Phædrum, nos  
 de plerisque:

*O quanta species cerebrum non habet!*

Ita

Ita est. nomen philosophi inter antiquos tam frequens fuit, quam Theologi hodie. Nemo autem crediderit, ideo verum philosophiæ studium floruisse magis, quam pietatis studium in vrbe, vbi plus mille vna sunt Theologi. Imò obseruatu facile erit, nunquam magis philosophiam corruptam fuisse, quam vbi omnes in Romana Republica profiterentur philosophiam. Et porro veritatis studium solidamque philosophiam nullos hostes acerbiores quam communem philosophorum tulisse turbam. Seneca suo tempore *vulgum veritatis pessimum interpretem & argumentum pessimi turbam* appellabat. & ne quis plebem putaret, ipsos philosophos aperte nominat, apud quos, ubi de vita bene ordinanda sit quæstio, vt in Comitii, lis detur secundum plures. O quanta species! qua decepti imperiti philosophorum aut ambitioni aut voluptati aut aviditati, idque lubentissime, sapientiæ quippe sonitu fascinati, feruierunt. Sublimes speculationes imò somnia plerorumque philosophorum doctrina erant. Inde irrisis horum vanitatibus Socrates e cælo vocandam dicebat Philosophiam, ægre ferens cæli contemplationibus præpostere occupari, quos ad sua & auditorii vitia præcipuè respicere oportebat. Sed ibi criminationes, conuicia visque demum armata philosophorum contra veritatem rabiem comitabantur. Socrates morte dignus, quod Philosophos contempnisset, & eorum fraudes aperuisset, communi voce iudicatus est. Tanta nimirum, vt nunc, & olim semper contra veritatem philosophorum fuit animositas. & nemo magis bonos Philosophos odisse consuevit, quam qui hoc nomine impie solebat abuti improbus Philosophorum cætus. Ultra exspatiari prohibeor. agam vero primis meis Lectionibus copiosius de utilitate historiae philosophicæ. Ipsam historiam secundum ordinem a Celeb. Buddeo in sua historia philosophica, quam Philosophiæ instrumentali præmisit, obseruatum tractabo. Collegium autem hoc publicum tribus per hebdomadem horis, quas in Catalogo Le-  
ctio-

etionum publicarum designabo, habebo. Denique auditoribus ex historia hac usum dignum petituris præcipue hoc obseruandum commendo, quod eleganter alicubi dicitur:

*Non semper ea sunt quæ videntur, decipit*

*Frons prima multos: rara mens intelligit,*

*Quod interiore condidit cura angulo.*

III. Privatim duo philosophica collegia, vnum in moralem philosophiam, alterum in ius naturæ polliceor. Iuris Studioſis ex tota Philosophia nullas disciplinas his scitu vtiliores aut magis esse necessarias actum agerem, si copiose probare vellem. Vt autem & in auctore eligendo & methodo dirigenda operam meam Studioſis Iuris gratiorem redderem, sapientissimo iudicio Illustris Strykii, Academiae nostræ Directoris excellentissimi, iudicis sine controversia summi, consilia in hac re mea deuote submissi ordinanda. Inde spondeo etiam & promitto iis, qui me audire dignabuntur, omnem me operam & in docendo, & priuatim etiam obscuriora cupientibus illustrando, daturum, vt speratam vtilitatem omnes qui volent capiant. Auctorem sequar celeberrimum Buddeum, cuius Philosophicæ institutiones & propter rerum egregium selectum & propter ordinem facilem dudum eruditorum communem adprobationem & omnem nostrorum ciuium adplausum meruerunt. Præmittam utriusque doctrinæ historiam & præcipuorum auctorum & restauratorum notitiam. Vbi conueniet, nouissimas aliorum sententias quas suo loco tradam præcipue laborabo, vt Illustris Thomasi, cui purior Philosophia maximum suum splendorem debet, præcepta Buddeanis annectantur, sicque auditores mecum ex eorum pleniore cognitione vtilitatem vberiore capiant. Hoc etiam monebo, me ad morem ipsius Venerandi Buddei germanice velle docere, cum longus usus omnes iamdum docuerit, multa facile ab auditoribus potuisse capi, ni nouas obscuritates latina doctoris peroratio addidisset. De horis & tempore peculiari scheda, postquam Berolino rediero, academicos ciues nostros monebo.

bo. Credo tamen, me altera post ferias paschales hebdomade hæc collegia certo incepturum. De Philosophicis collegiis hæctenus. Licet enim adhuc commode aliqua contra Philosophia omnis contemptores monere possẽm, pleraque tamen eorum obiectiones aut infirmæ sunt & per se corruunt, nec er- go egent refutatione. aut habent aliquid quod solidum & ve- rum videri possit, vbi vero accurata inquisitione opus est, ut a- veris simulachra veritatis probe dignoscantur. Sed hic argu- menti dignitas copiosorem tractationem requireret, quam huius aut loci esset aut temporis. Salsæ olim & scite Poeta ad ineptos censores suos:

*Noli molestus esse omnino litteris,*

*Maiorem exhibeant ne tibi molestiam,*

*Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant,*

*Et, ut putentur sapere, cælum vituperant.*

IV. Reliqua mea, quæ memorabo, collegia, eorum, qui aulæ negotiis se digne præparare satagunt, usui maxime infer- uunt. Præcipue hæc illud collegium facit, in quo commen- tationes meas in notitiam insignium, quam Heraldicam vo- cant, priuatam meam operam cupientibus promitto. Inter Germanos B. Parens meus primus Heraldicam copiose illu- strauit, suoque tempore primum Argentinæ privatim hæc artem multos Principes & illustres personas docendo, deinde in publicum scriptis suis copiosis editis aliquantum inclaruit. Post Mensefrerium, cui B. Parens meus plurimum debere pro- fessus est, multi in Gallia, Batavia & Anglia hoc studium suis & prioribus & nouissimis commentationibus ornarunt. Ha- bemus etiam compendia multa Gallica & Germanica, quæ quodque suas merentur laudes. Imprimis clarissimi Gotschlin- gii, honoratissimi amici mei, laborem in hoc studio egregium & elegans opusculum hic citare iuuat. Siue itaque ex illis unum aut præcipue posterius memoratum auditoribus meis placue- rit, siue velint nouum, quod ex Parentis mei operibus & no- uissimis aliorum obseruationibus congestum habeo, compen- dium,



4  
dium, in vtroque operam & industriam meam polliceor. Quod si tamen eligant postremum, malintque breues illas commentationes, quas modo memorauit, eas in calamum auditoribus meis in principio cuiusque lectionis dictabo, forsitan etiam, vt proxime in publicum exeant, laborabo. Interim eis, qui Gallicam linguam callent, librum Gallicum qui Amstelodami A. 1695. prodiit & inscribitur, *L'art du blason, ou la science des nobles*, commendo. Præter facilem enim methodum hic liber ad meas qualescunque commentationes auditorem præparabit, & figuras insignium præ reliquis bene docebit. Collegium vero Heraldicum, vt reliqua, proxima post ferias paschales hebdomade & hora ab auditoribus meis eligenda incipiam.

V. De Collegio Genealogico, quod habere cogitauit, nihil adhuc firmi statuere audeo. Nouit quilibet, quam vastum hoc sit studium, & quod omnes eius partes vno velle exhaustire collegio id patientiam auditorum fatigare & vincere velle esset. In Collegio aliquo generali sat mihi factum puto, breui præcipue cuiuscunque illustris domus historię schemate tradito, monstrasse deinde fide dignissimos & optimos in quauis Genealogia auctores. Sic auditores, ubi opus habuerint, recurrentes ad ipsos fontes habebunt unde se iuuent & assertis dignam adquirant fidem. Hæreo igitur, an tale introductorium Collegium in Genealogiam, an vero speciale in Genealogias Germanicas augustiores sim habiturus. Vbi autem auditores fuero nactus beneuolos & huius studii cupidos, re omni cum eis probe deliberata, & in ipsius Collegii argumento & auctore & hora eligendis eorum desideriis obtemperabo. Parum attinet hoc monere, quam illustres & nobiles combinata Genealogiæ & Heraldicæ notitia non tantum delectare sed & egregie iuuare possit. Certe his rationibus motus AVGVSTISSIMI REGIS nostri clementissimus fauor, quo studia hæc vere nobilia vbique profequitur, nobiles nostros ciues academicos suo iure ad ea excolenda vel solus excitare debet. Sed  
nec

nec vinum bonum appensa hedera, nec studium adeo necessarium pluribus commendationibus opus habere existimo.

VI. Pro more nunc ea Collegia honoratissimis academicis Ciuibus aperui, quæ hoc semelstri in vsus eorum habere decreui. Si qui autem alii fuerint, qui præter memoratas Lectiones aut in aliqua parte Philosophiæ, aut in Historia, aut etiam in humaniori litteratura priuatam siue priuatissimam informationem meam postulauerint, iis pro temporis ratione quantum potero, æqualem operam & industriam meam spondeo. Prosequantur modo auditores fauore suo & beneuolentia studia mea, nec habebunt, qui maiori aut alacritate aut sedulitate eorum vsui se vigiliasque suas dedicaturus sit. Quod nunc postremum, cum omnibus bonis subditis pie DEVM OPTIMUM MAXIMUM veneror, AVGVSTISSIMI REGIS NOSTRI, DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI, fortunatissimis annis quam plurimos addat omni felicitate regia cumulatifsimos. Protegat SERENISS. REGIVM PRINCEPES, CLEMENTISSIMUM itidem DOMINVM NOSTRVM, & vt paucis omnia complectar, æternum SERENISSIMAE BORVSSIAE DOMVS gloriam florere iubeat. Sic cum post DEVM clementissimæ AVGVSTISSIMI REGIS nostri gratiæ omnem debeamus Academiae nostræ fortunam, eam perennaturam auguror, cum, quot deinde ad SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS NOSTRI summum exemplar pios, sapientes & felices Principes, tot certe sibi Academia nostra habitura sit protectores & nutritores munificentissimos.

P. P. Halæ Magdeburg. Post. Non. Apr.

CICICCCX.

---

Literis HENCKELIANIS.

Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687




St

V017







80.  
32

CIVIBUS ACADEMICIS  
IN  
REGIA FRIDERICIANA  
COLLEGIA SUA  
ÆSTIVO SEMESTRI  
HABENDA  
INTIMAT  
JACOBUS CAROLUS SPENER,  
Phil. P. P. Ord.

33

ah.